

bitrio locis citatis aliquid amplius velit, quod plane vel admittendum non est, vel ex aliis locis ejusdem patris pie exponendum. » Sensit Molina vim hujus loci Augustini in quo plane vult s. doctor Deum nos non ad peccatum, bene tamen ad entitatem actus ejus movere, et agere.

DISCIPULI D. THOMÆ IPSUM SEQUUNTUR.

XV. Hanc S. Thomæ mentem ita apertam unanimiter ejus discipuli sequuntur. Capreolus in II, dist. I, q. II, conclus. VI, ubi transcribit articulum VII supra citatum ex D. Thomæ quæstione III de potentia. Similiter dist. XXVIII ad XII apertissime dicit quod: « Deus modo speciali juvat faciendo ipsam voluntatem partialiter concurrere, ita quod ipsa voluntas partialiter concausat applicata, et quasi instrumentaliter mota a Deo ad sic particulariter concausandum. » Nec in isto loco Capreolus docet in causis naturalibus solum dari coefficientiam generalem partialem cum divino influxu, non causatam ab illo. Nam licet dicat in supernaturalibus Deum non juvare solum partialiter coefficienti, qui est modus communis quo concurrat ad cujuslibet agentis creati effectum, etc. tamen per illud verbum coefficienti, non intelligit puram influentiam simultaneam Dei, sed etiam antecedentem, ut simul cum Deo coefficienti ut verbis relatis docet. Quod etiam aliis locis tradit Capreolus, ut dist. prima citata, qu. conclus. VI et in I, dist. IV, q. I, concl. V. Et solvens primum argumentum contra secundam partem conclusionis, quod est fundamentum oppositæ sententiæ, scilicet quia si Deus vellet necessitare voluntatem necessitate antecedenti, non aliter id faceret, quam in volendo efficaciter, respondet quod:

« Licet faceret hoc Deus volendo, non tamen nunc vult illud, quod vellet tunc. » Et sic docet quod a causa prima non provenit iste effectus, nisi necessitate immutabilitatis, ut suppositionis quia scilicet causa prima est determinata ad hunc effectum per suam sapientiam et voluntatem; et sic non stat effectum non sequi illo modo quo prævolitum est, et dispositum a causa prima illum sequi, etc. Non dicit eo modo quo præcognitum est, sed eo modo quo prævolitum et dispositum, quia non ex efficacia tantum prævisa, sed causata et disposita a Deo per ejus volitionem, sequitur ille effectus. Hæc et alia multa similia ibi dicit Capreolus. Videndus est etiam S. Antonius, IV p. summæ theologiæ, c. XIV de causis gratiæ, §. II et c. V de necessitate gratiæ, §. VII: et Albertus Magnus, I p. summæ tract. XX, q. LXXIX et in tractatu III, q. XVIII: Conradus 1-2, super q. CIX, art. IX, ubi motionem divinam ponit conservativam et applicativam gratiæ ad operandum: et super quæstione CXII, art. III, versiculo Nota secundo, eandem doctrinam explicat. Videndus est etiam Ferrariensis III contra gent. c. LXX et c. LXXX: Cajetanus pluribus in locis eandem tradit doctrinam, licet ab oppositis auctoribus citetur pro sua. Sed manifeste tradit Cajetanus doctrinam D. Thomæ in primis in hæc prima parte, q. II, art. III, §. Ad hoc breviter, explicans illam propositionem S. Thomæ: « Quia moventia secunda non movent nisi per hoc quod sint mota a primo motore, » ubi docet requiri ad rationem causæ, efficaciam, « Et hanc in ejus causalitate consistere, unde nisi causalitas compleatur, neque causa in actu, neque efficacia salvatur; complementum autem causæ mediæ nullatenus esse potest sine dependentia a prima: ergo causa media, ut

est causa media, dependet a prima. » Ubi satis individualiter ponit Cajetanus nostram sententiam, quod ipsa determinatio seu causalitas, aut efficacia causæ mediæ dependet a prima, et sic non potest solum esse concomitanter cum ipsa, sed derivata ab ipsa. Et sic concludit ibi Cajetanus §. Ad objectionem, quod impossibile est mediam causalitatem perfici, nisi sustentetur in prima. Item I p. q. XLV, art. V, §. Ad Durandum, in secunda solutione refert doctrinam D. Thomæ quæst. III de potentia, art. VII, ubi omnis causa secunda dicitur non agere, nisi agatur a Deo multipliciter. Videndus est etiam I p. q. CV, art. IV et V utrobique circa finem, et q. CXV, art. VI, §. Ad evidentiam, ibi: « Nunquam agentia inferiora coagunt cœlo, nisi patiantur a cœlo, quoniam non movent, nisi mota. » Censet ergo Cajetanus quod non datur in agentibus subordinatis puta simultas in influendo, sed quod causa inferior, quia mota est, prius patitur a superiori, ut suam partialem operationem emittat, et consequenter ejus cooperatio et determinatio causatur a superiori. Insignis etiam locus est Cajetani 2-2, q. LXXII, art. II, §. Ad secundum, ubi inquit: « At si de inspiratione efficaci intelligendum est cum prophetica dicitur inspiratio, constat quod cum solius Dei sit efficaciter movere voluntatem, et ex parte ipsius voluntatis, ut inspirationis nomen sonat, dicendum esset quod non est ab Angelo, sed a Deo immediate, non per impressionem alicujus formæ in voluntate, sed per actualem motionem, qua solus ipse Creator potest eam cum vult, et quo vult movere, juxta illud: Cor regis in manu Domini, et volvet illud quocumque voluerit. »

XVI. Nec obstat quod adducunt oppositi auctores ex Cajetano in hæc

prima parte, q. XIX, art. VIII, §. Ad primam rationem, ubi dicit quod dupliciter contingit causam secundam moveri a prima: « Uno modo, motione prævia actioni, sicut baculus movet lapidem motus a manu. Alio modo motione cooperativa intrinsece propriæ actioni. Et quidquid sit de majori in primo sensu, in secundo est falsa, in quo tantum verificatur minor: non enim oportet cum aliquis vult aliquid, seu cum sol illuminat, primam causam prævia motione cooperari, sed sufficit et exigitur eam intrinsece cooperari tali electioni, vel illuminationi. » Et infra: « Prima causa non attingit effectum secundæ causæ in se ipsa, sed modificata cooperatione sua juxta modum ipsius causæ secundæ. » Et statim docet quod non est aliqua duratio naturæ, in cujus primo instanti causa prima respiciat effectum, et in secundo causa secunda. Removet ergo Cajetanus omnem præviam operationem, et efficaciam Dei in causam, et solum ponit simultaneam cooperationem in effectum. Idemque docet Conradus, 1-2, q. LXXIX, art. I.

Respondetur Cajetanum nullo modo negare prævium influxum quo causa prima applicat, et conjungit virtutem causæ secundæ ad effectum, sed negare illum prævium influxum, quo Deus præbeat totum virtutem causæ inferiori, ita quod illa operetur præcise ut mota, et ut instrumentum, sicut baculus operatur ut motus a manu: hoc enim esset auferre a causis secundis proprias virtutes operativas, quibus modificant et determinant divinum concursum. Hoc autem constat ex ipsis verbis Cajetani in præfato articulo VIII, dicit enim sic §. Et si quidem, etc. « Non enim causa secunda movet ob hoc præcise quia movetur, sed etiam ex virtute propria. » Et statim: « Quoniam stat causam



secundam moveri necessario a prima, et cum hoc ipsum moveri modificari ex natura causæ secundæ, et sic moveri causæ secundæ, provenit non ex moveri tantum, sed ex moveri, et modo proprio ipsius causæ secundæ. » Et concludit: « Illa autem propositio adjuncta, scilicet causa secunda nihil agit, nisi in virtute primæ, non juvat, quoniam non est sensus quod causa secunda nullam virtutem habeat nisi primæ, sed quod ipsa secunda nullum effectum producit, nisi virtute primæ concurrente, et contingente virtutem secundæ suo effectui, quoniam prima omnia attingit immediate immediatione suppositi. » Ecce manifesta Cajetani mens, a se ipso explicata. Non negat præviam influentiam causæ primæ, quantum ad hoc quod applicet et contingat virtutem causæ secundæ effectui, quod est non dare formam operativam, sed applicationem, et motionem actualem, negat autem quod Deus sic prævie moveat, quod illa motione det totam virtutem agendi, non autem virtutem supponat in causa secunda, quæ motionem illam modificet; hoc enim esset se habere ut purum instrumentum. Quod autem docet, nullam esse durationem in cujus primo instanti causa prima respiciat effectum, et in secundo, secunda, verissime dicit, quia respectu effectus producendi simul respicitur et attingitur a prima et secunda causa, sed cum hoc stat, quod ipsa causa secunda ex subordinatione, et motione ad primam suam eliciat cooperationem in effectum. Et de hoc videri potest ipse Cajetanus 1-2, q. cix, art. 1, ubi eandem præviam influentiam causæ primæ agnoscit, et Conradus illo ipso loco, q. lxxix ubi citatur.

Denique, hos gravissimos et antiquiores Thomistas, recentiores sequuntur sine ulla discrepantia m.

Bagnez 1 p. q. xxiii, art. v ibi; Zumel, Nazarius, Navarrete, Gonzalez, Zanardus, Ledesma libro de auxiliis, quæstione unica, art. ix; Alvarez lib. iii de auxiliis, disp. xii; Ramirez de divinis præmotionibus, fol. lxxxvi; Corneso tomo 1, in 1 p. tract. 1, in q. xiv, art. xiii, disp. 11, dub. vi, et tract. 11, in q. xxiii, art. vi et vii, disp. 1, dub. 11; Calcera, tomo 11, in 111 p. q. xviii, art. 1v, disp. 11, §. 1v et 111 tomo, q. lxii, art. 1, disp. xix, §. 1v. Et super eandem quæstionem lxii m. Nufio late id docet et tractat: Villegas controversia xii, disp. priori, c. 11: Machin. 1 p. super quæstionem xix, a. viii, et super quæstionem xxiii, art. v; Carmelitani Salmanticenses tract. 1v de voluntate Dei, disp. x, diffuse, et plures alii qui ab his auctoribus citantur. Optime eximius doctor Franciscus Silvius in illo brevi, sed nervoso opusculo de primi motoris motione, Duaci, 1609, ubi plures ex Lovaniensibus antiquis, aliisque doctoribus citat, pag. 11, et seqq.

EXTRA SCHOLAM D. THOMÆ IDEM DOCE-  
TUR.

XVII. Primo loco, et multorum loco occurrit Scotus cum schola sua, qui divina providentia disponente, forsitan quia pro istis temporibus sic expediebat, non minus stricte et formaliter locutus est, in hac parte, quam D. Thomas et ejus schola. Extant inter alia duo illustria Scoti testimonia pro hac parte, videlicet in 11, dist. xxxvii, quæst. unica, circa secundum quæsitum, vel, ut alii citant, quæst. secunda, ubi Scotus quærit an voluntas sit totalis causa sui actus, et sui velle, ita quod Deus respectu illius non habeat aliquam efficientiam immediatam, sed mediatam. Et positis argumentis in contrarium, quia aliter voluntas non esset libera, si non esset totalis cau-

sa, et immediata sui velle, non ageret contingenter, etc. quæ sunt fundamenta auctorum scientiæ mediæ, ipse Scotus destruit illam positionem in §. Contra ipsam opinionem duplici via, tum destruendo scientiam mediam, tum ex omnipotentia Dei adstruendo efficaciam ejus circa voluntatem nostram. Destruit quidem scientiam mediam, quia ponit Deum non cognoscere certo futura contingentia, nisi in determinatione suæ voluntatis divinæ. Unde si illa non esset causa eorum quæ dependent a voluntate creata, poterit voluntas creata aliter velle, et ita non sequitur certitudo ex cognitione determinationis voluntatis divinæ. Quæ consequentia Scoti infringitur, si ponitur scientia media, quia ista non accipit certitudinem ex determinatione voluntatis divinæ, sed creatæ in se immediate. Quod etiam Scotus alibi negavit, id est quodlib. xiv, §. Hic intelligendum, ubi inquit quod: In motionibus contingentibus primo voluntas determinat se ad intra, secundo intellectus videns istam determinationem voluntatis infallibilem, novit hoc esse futurum. » Nihil illistrius ad asserendum ex Scoto non cognosci futura, nisi in decreto Dei prius infallibiliter determinante; loquitur enim ibi de voluntate divina, cum dicit quod determinat se ad intra, ut videri potest in ipso textu; atque adeo destruit a fundamentis scientiam mediam, qua depilata, corrumpit tota machina decretorum indifferentium, et non efficacium ex sua natura, quæ super illam innititur. Ex omnipotentia vero Dei probat Scotus disputatione xxxvii citata tali consequentia inter alias, causalitatem divinam efficacem in nostram voluntatem: « Quia quidquid vult omnipotens, hoc fit, licet velit volitionem meam fore: et ista est in potestate voluntatis meæ, ut totalis

causæ contingenter se habentis ad illud: ergo ipsa potest se determinare ad unam partem, vel ad aliam indifferenter, et ita potest non fieri illud aliud ad quod voluntas divina determinavit. » Hæc sunt formalia verba Scoti. Quod inconveniens ab ipso illatum devoratur ab auctoribus scientiæ mediæ, et indifferentium decretorum, quia dicunt quod si consideretur decretum divinum, seu determinatio, et influentia ejus, prout præcise egreditur a Deo, et ab omnipotentia ejus, potest inefficax reddi a voluntate mea, sed si consideretur ut dirigitur a scientia media, quæ prævidet quando voluntas mea est consensura, et tunc datur, sic non redditur inefficax, non quidem vi omnipotentiae suæ, sed beneficio determinationis meæ prævisæ a Deo, non in determinatione sua.

XVIII. Secundum testimonium Scoti est in 1v, dist. xlix, quæst. vi, §. Dico ergo, circa finem, ubi sic inquit: « Repugnat libertati, quod contingentia quæ necessario est ex parte ipsius non ponat contingentiam simpliciter, quantum est ex parte omnium inferiorum, quia tollit ipsam esse causam in ordine superiori: sed non repugnat sibi quod contingentia ejus non ponat contingentiam ex parte effectus simpliciter, quantum est ex parte causæ superioris, quia causa superior non determinatur ab ipsa: non est ergo contra naturam ejus quod determinetur a causa superiori. » Vide singulare dictum Scoti, quo non potuit plenius exprimere sententiam nostram, et oppositam repellere; dicit enim quod causa superior voluntati (ea est divina voluntas) non determinatur ab ipsa: ergo repellit indifferentiam decreti expectantis efficaciam, et determinationem a consensu nostro, et ponit divinam voluntatem determinantem volunta-